

norum dimensionem nos ipsi variis in locis ejusdem Regni, per quæ transire contigit, ad astrolabiorum, & aliorum, quibus Mathematici utuntur, instrumentorum normam, adjuncta Eclipsium fide, è Sinenfium fastorum, in quibus novilunia simul ac plenilunia ad amussim describuntur, & maxime cosmographicorum planorum auctoritate, quam accuratissime licuit, excussimus. Et quidem ab Austro in Boream, ubi nostrorum hætenus desudavit industria, nihil est quod addi posse videatur. Si vero in longitudine posterius nostri, cum in eas partes Evangelium, Deo volente, invexerint, accuratius aliquid explorarint, quod erit, ut arbitror, discrimen exiguum, eorum auctoritati libens cedo, & posteriores curas prioribus judico præferendas.

Ex his colligitur, hanc in uno regno amplitudinem, maxima ex parte